



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1735. usque ad annum 1737

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1786

VD18 90119347

§. 64. Dissidium Papam inter & Lusitaniæ Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67868)

Sæc. XVIII.
A. C. 1736.

§. LXIV.

*Diffidium Papam inter & Lusitaniam
Regem.*

Nondum tamen molestiarum finis
quamvis enim Pontifex Bichio &
Firrao Purpura decoratis, Joannem V.
Lusitanix Regem ex integro placatum
crederet, hic nihilominus duriora in-
dies postulata interponebat, causatus,
sibi nondum plene satisfactum esse de
injuriis, quæ ejusdem Bichii causa
per tot annos accepisset. At Clemens,
cui nihil magis cordi erat, quam fir-
ma cum Principibus pax & concordia,
ut tandem ejusmodi diffidiis finis esset,
Turconium Roma Ulyssiponem ablega-
vit, qui Regis animum ad æquiora
flecteret consilia, ac præprimis ab eo
impetraret, ut Rex plurima, eaque
gravissima, quæ ex diuturnis hisce tri-
cis orirentur, incommoda & scandala
tolleret, &, quod Pontificem intima
cruciabat, tandem dignos Viros ad Ec-
clesias tot annis suis viduatas Pastori-
bus nominare vellet: Hæc ut eo facili-
us obtineret Pontifex, non modo Re-
gi gratiam fecit, ut Ulyssiponenfis Pa-
riarcha semper Cardinalitia præfulge-
ret dignitate, sed insuper præter alia
plurima beneficia Regi indulfit, ut
quar

quartam pensionum partem, quam an- Sæc. XVIII.
 nis Episcopatum, ceterorumque Sa- A. C. 1736.
 cerdotiorum proventibus imponendi fa-
 cultatem jam antea Reges Lusitani ha-
 bebant, ad tertiam usque partem ex-
 tendere posset. Cum vero Rex nec
 tam amplo favore sibi satis datum cre-
 deret, & Pontificem ad tam duras
 condiciones, quas ipse præscripsit,
 flecti posse desperaret, consueto Regiæ
 ultionis terriculamento usus, Pontifi-
 cii Oratoris ac Nuntii negotiis inter-
 dixit: Tandem anno proximo hæc lis
 penitus terminata est.

§. LXV.

Alia controversia a Gallis mota.

Nec magis pacata ex Galliis spirabat
 aura; quamprimum enim Clemens
 Papa Augustum III. prout in prælimi-
 naribus pacis articulis conventum erat,
 Poloniæ Regem agnoverat, mox Gal-
 li hanc agendi rationem ægris oculis
 aspiciebant, horum quoque indigna-
 tio novum cepit incrementum ex eo,
 quod Pontifex ad Poloni Regis nomi-
 nationem Grobowski ejus Legato Vil-
 nensem Episcopatum contulisset, cum
 tamen Franciæ Orator Comitem Zalus-
 kium ad præfatæ Ecclesiæ Infulam pro-
 moveri